

QUORUM BONORUM.

8.2.1

Impp. Severus et Antoninus AA. Iusto.

Hereditatem eius, quem patrem tuum fuisse dicis, petiturus iudicibus qui super ea re cognituri erunt de fide intentionis adlega. quamvis enim bonorum possessionem ut praeteritus agnovisti, tamen interdicto quorum bonorum non aliter possessor constitui poteris, quam si te defuncti filium esse et ad hereditatem vel bonorum possessionem admissum probaveris.

PP. VIII k. Ian. Laterano et Rufino consss.

[a. 197]

8.2.2

Impp. Diocletianus et Maximianus AA. et CC. Marco.

Si ex edicto sororis patruelis intestato sine liberis defunctae recte petita bonorum possessione quaesisti successionem ac negotium integrum est, quae cum moreretur eius fuerunt, secundum edicti quorum bonorum tenorem ab his, qui pro herede vel pro possessore possident dolove malo fecerint, quo magis desierint possidere, tibi rector provinciae restitui efficiet.

S. VI k. April. CC. consss.

[a. 294]

8.2.3

Impp. Arcadius et Honorius AA. Petronio vicario.

Constat virum a bonis intestatae uxoris substitutis consanguineis esse extraneum, cum prudentium omnium responsa et lex ipsa naturae successores eos faciat.
¶ Ergo iubemus, ut omnibus frustrationibus amputatis per interdictum quorum bonorum in petitorem corpora transferantur, secundaria actione proprietatis non exclusa.

D. VI k. Aug. Mediolani Olybrio et Probino consss.

[a. 395]